

mas 1. part. quæst. 90. art. 1. ad 2. asserens duo concurrere. Primū quod forma fiat in actu, cum prius solūm esset in potentiā. Secundum, quod dependeat in esse & fieri à materiā. *Zanardus l. 1. Phys. q. 15. p. 45.* ait: Notandum, quod ad hoc, ut forma dicatur educi de potentiā materiæ, necesse est, ut in materiā sit potentia essentialis ad illam formam, quia forma substantialis respicit suam potentiam substantialiter. *Morisanus Diss. 1 quæst. 10. p. 303.* inquit, formam educi de potentiā materiæ est formam produci in materia, cum dependentiā ab illa in esse & produci. Sic quid de educatione hac ē potentiā materiæ sentiant *Conimbrienses, Complutenses, Pererius*, sententia illorum *lib. 1. c. 3. q. 12. p. 103*; istorum *diff. 4. q. 2. p. 45.* Hujus *l. 5. c. 22. p. 339.* videri potest.

§. 2. Omnes verò in re falsissimā occupatissimi sunt & plus infumunt temporis & laboris vanissimis juxta atq; absurdissimis sententiis defendendis, quæ destruendæ potius erant, quàm veritati, quæ asserenda. Et uti disident maximè inter sese; ita illis, qui accuratissimi omnium videri volunt, educi ē potentiā materiæ nihil aliud est, quàm formas incipere esse actu in subjecto potentiam naturalem ad illas habente, & illas extra materiam nec fieri, nec conservari, nec operari posse. Veruntamen nec hoc modo exprimitur ortus formarum. Quantumvis enim hæc concedamus omnia, mens tamen veritatis amans quærere non desistit, Unde venerint formæ illæ, quæ nunc actu esse incipiunt, quæ nunc dependent in esse & fieri & operari à materiā? Fiant formæ in materiā, sint in materiā, operentur in materiā, quærit tamen porrò eōq; anxius, quō habet minus in quo acquiescat, an fiant formæ in illā materiā ex materiā, an ex nihilo? Hoc ipsis displicet in totum; Illud si urgent, urgemus ipsos pressius ac dicimus, quod formæ oriri nullatenus possint, *vel ex substantiā materiæ, vel ex hujus accidentibus. Non ex materia substantiā*, principium enim activum oriri nequit ē principio passivo, absurdum insuper est, essentiam materiæ transire posse in essentiam formæ, materiale in immateriale. Forma à formā est, non à materiā, non ē materiā. Dare materia alteri non potest, quo ipsa destituitur: Materia est acci-